



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Dispvt. XVI. De similitudine, & dissimilitudine deque æqualitate, &
inæqualitate entium, seu rerum. Atque adeò obiectorum intellectus
humani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

DISPUTATIO XVI.

DE SIMILITVDINE, ET DISSIMILITVDINE;

Deque æqualitate, & inæqualitate entium, seu rerum;
atque adeò obiectorum intellectus humani.



D multa conferet explicatio, notitiæque horum terminorum, ut apparebit ex dicendis. Quocirca disputatio de illis prætermitti non debet. Et quamvis de æqualitate, & inæqualitate rerum iterum agendum sit alibi, dum sermo sit de quantitate, cuius propriæ passionibus sunt: modò tamen, tum ob affinitatem, quam habent cum similitudine, & dissimilitudine, tum, quòd earum notitia ad sequentia præmitti debet; De ipsis etiam tractare necesse est.

QVÆSTIO PRIMA.

*Quid sit similitudo, oppositaque
dissimilitudo rerum. Et
quotuplex?*



IMITIA dicuntur ea, quorum vnum sicut alterum est, seu quorum vnum eodem modo in suo esse sese habet, ac alterum. Dissimilia autem è contrà ea, quorum vnum aliter, ac alterum est; seu quorum vnum aliter in suo esse sese habet, ac alterum. Nec amplius termini isti sunt explicabiles; cum sint ex notissimis. Hinc similitudo relatio quædam, siue denominatio est semiextinsecra, siue actus quidam semiextinsecus, quo vnum extremum alteri assimilari, siue alteri esse simile dicitur, consistens formaliter quidem in actu quodam suppositiue respectiuo, siue in relatione quâdam rationis suppositiue à vnus extremi tanquam subiecti ad alterum tanquam ad terminum, realiter verò in ipsiusmet entitatibus extremorum, in quibus adæquatè fundatur; cum quibuscumque subinde realiter, & adæquatè est idem, iuxta doctrinam vniuersalem actuum, & relationum traditam disp. 8. & 14. quæ ad rem recognoscenda est. Pariterque dissimilitudo sumpta formaliter relatio quædam est, siue actus, quo vnum extremum alteri dissimilari, siue dissimile esse dicitur. Sumpta verò realiter, aliud non est ab ipsis extremis dissimilibus. Vtraque autem, cum sit mutua, inter duo quæque extrema duplicatur sumpta formaliter; quatenus primum secundo assimilari, aut dissimilari concipitur per actum distinctum ab eo, per quem secundum primo: cuius vtriusque actus, siue relationis formalis eadem prorsus fundamenta realia sunt; nimirum ambo extrema ipsa similia, aut dissimilia.

Sunt autem similitudo, & dissimilitudo relationes positivæ; atque adeò contrariè oppositæ: sicut identitas, & distinctio, æqualitas, & inæqualitas, veritas, & falsitas, aliæque huiusmodi: quia tamen citra medium ita opponuntur, quatenus non possunt non esse similia extrema, quæ non sunt dissimilia; & vice versa; idcirco vnaquæque earum per negationem alterius potest, & solet definiri, siue explicari; vti etiam evenit in identitate,

& distinctione, iuxta dicta disput. 13. in ceterisque huiusmodi extremis contrariè oppositis citra medium.

Porro, sicut distinctio, æqualitas, veritas, & alij huiusmodi conceptus ex eorum genere sunt, qui in indivisibili consistunt; atque adeò non suscipiunt magis, & minus, ut dici solet, eo quod nullâ quantitate aut physicâ, aut metaphysicâ præditi sunt, iuxta dicenda suo loco. Vbi de quantitate in genere sermo sit. Ita pariter similitudo, rigorosè loquendo, in indivisibili consistere; atque adeò non suscipere magis, & minus dicenda esset; nisi vsu introductum esset, ut ea etiam extrema similia dicantur, quæ non omnino talia sunt; sed aliquid dissimilitudinis admixtum habent. Quemadmodum enim ea solum dicuntur æqualia, quorum alterum tantum omnino quantum alterum est; alterumque subinde ab altero nihilo exceditur, sicque nihil inæqualitatis admixtum habent; ita etiam ea dumtaxat in rigore similia erant appellanda; quorum alterum omnino sicut alterum est, nec aliquid dissimilitudinis admixtum habent. Supposito tamen vsu opposito, duplex claritatis gratia similitudo distingui poterit, & debet. Quatum altera dicitur similitudo exacta, seu pura, utpotè nihil omnino dissimilitudinis admixtum habens, & hæc in indivisibili consistit, sicut æqualitas. Altera dicitur similitudo mixta, seu temperata, cum aliqua scilicet dissimilitudine; & hæc eo maior, aut minor erit, quo minor, aut maior fuerit opposita dissimilitudo, quâ metaphysicè temperati concipiuntur, ad eum modum, quo calor, & frigus vicissim temperantur physicè. Dissimilitudinem quippe suscipere magis, & minus certissimum est, sicut & inæqualitatem. Constat enim, alia magis inter se esse dissimilia, quam alia, sicut alia magis inter se inæqualia, quam alia sunt. In quo exacta similitudo, & æqualitas à suis oppositis discriminantur.

Iam verò similitudo, oppositaque dissimilitudo alia realis est, alia rationis. Realis, quæ extrema à parte rei similia, aut dissimilia sunt. Rationis, quæ extrema talia sunt tantum per nostram rationem: Similitudo autem, dissimilitudoque rationis, quemadmodum, & alia entia rationis rursus est duplex: alia supposititia: alia ficta. Supposititia, quæ extrema similia, aut dissimilia euadunt in mente nostrâ obiectiue à phantasmatis substitutis similibus inter se, aut dissimilibus, in quibus à nobis concipiuntur: Ficta autem, quæ extrema talia euadunt à similitudine, dissimilitudine

nève sibi per intellectum directè, & ex intentione tributa; quam tamen verè in se non habent, iuxta dicta latius de duplici isto enim rationis genere *suprà disp. 12.* quæ ad rem videnda. Vtraque denique, dicta similitudo, dissimilitudineque rationis, aut potest concipi in extremis distinctis realiter, ut si extrema re ipsa similia concipiuntur dissimilia, vel vice versa, aut potest concipi in extremis, quæ cum realiter sint idem, distincta à nobis concipiuntur, sicque aut similia, aut dissimilia.

QVÆSTIO II.

Quid sit æqualitas, oppositæque inæqualitas rerum, & quo duplex.

Æqualitas dicuntur, ea quorum vnum tantum est, quantum alterum: inæqualitas verò ea, quorum vnum maius, aut minus altero est. Vnde esse æqualia, vel inæqualia proprium est extremorum habentium in se quantitatem aliquam, seu magnitudinem siue physicam consistentem in physica, formalique multitudine partium; siue metaphysicam consistentem in multitudine partium dumtaxat æquivalente, siue fundamentali, iuxta dicenda latius suo loco. Esse quippe æqualia, vel inæqualia non solum convenit quantis physicis, siue continuis, ut loco, & tempori; & quæ illis commensurantur; siue discretis, ut numero; seu numerabili multitudini: sed etiam quantis metaphysicis, cuiusmodi sunt bonitas rerum etiam indivisibilium, perfectio, malitia, imperfectio, potentia, virtus, & cætera prædicata, quæ suscipere dicuntur magis, & minus. De quibus plura sunt dicenda loco citato.

Hinc æqualitas sumpta formaliter relatio quædam rationis suppositicia est: est sumpta verò realiter ab ipsis extremis æqualibus nihilo differt. Tantumdemque de inæqualitate venit dicendum, prout de similitudine, dissimilitudinēque dicebamus *q. præced.* Est autem æqualitas, quemadmodum & similitudo relatio mutua, iuxta *ibi dicta*; inæqualitas verò non itidem, in quo à dissimilitudine differt; siquidem extremorum dissimilium eodem modo est utrumque dissimile alteri; extremorum verò inæqualium non est eodem modo utrumque inæquale alteri, cum sit necesse, ut alterum maius, & alterum minus altero sit, nisi quis velit, dissimilitudines formales inter duo quæque extrema dissimilia repertas suam etiam diversitatem habere penes diversitatem subiecti, & termini uniuscuiusque; iuxta dicenda *infra q. 4.* Id certum; non esse pro illis diversa nomina, aut concreta, aut abstracta, uti sunt pro inæqualitatibus, quarum altera suum subiectum maius, & altera suum minus denominat; alteraque subinde maioritas, & altera minoritas venit dicenda. Itaque similitudines, & æqualitates formales circa omne dubium sunt relationes mutue in rigore: quia duo quæque extrema similia, aut æqualia relationibus eiusdem omnino rationis concipiuntur inter se vicissim similia, aut æqualia. inæqualitates verò formales, atque etiam dissimilitudines, si inter se sunt diversæ, etsi mutue quoque dici possint, & soleant; quatenus nequit vnum extremum esse

dissimile, aut inæquale alteri, quin hoc vicissim sit alteri dissimile, aut inæquale; rigorosè tamen loquendo, mutue non sunt dicendæ, quatenus dissimilitudine inæqualitatēque diversæ rationis est primum extremum dissimile, aut inæquale secundo, ac est secundum dissimile, aut inæquale primo.

Sunt autem æqualitas, & inæqualitas relationes positivæ; atque adeò contrariè oppositæ, sicut de similitudine, & dissimilitudine est dictum *quæst. præced.* Non tamen sunt, sicuti hæc contrariè oppositæ circa medium, loquendo univèrsè; quia dantur multa extrema, quæ inter se comparata, nec sunt æqualia, nec inæqualia, cum tamen nulla omnino dentur, quæ inter se comparata non sint similia, aut dissimilia. Cum enim æqualitas, & inæqualitas quantorum proprietates sint, extrema ex pertia quantitate tam physica, quàm metaphysica æqualia, aut inæqualia esse nequeunt. Huiusmodi sunt omnes conceptus obiectivi, qui in indivisibili consistere dicuntur; atque adeò non suscipere magis, & minus, ut essentia, existentia, identitates, distinctiones, veritates, & aliud genus. Vnde deprehendes, similitudinem, & dissimilitudinē latius parere, quàm æqualitatem, & inæqualitatem. Illæ enim transcendunt omnia entia, omnesque omnino conceptus obiectivos; quatenus nulli non sunt inter se similes, aut dissimiles: cum tamen hæc solis conveniant entibus, conceptibusque obiectivis quantis, respectu quorum dumtaxat possunt proinde circa medium opponi; non tamen semper sic opponuntur, sed tantum quando eorum quantitas eiusdem est generis. Ob id enim superficies, & linea, quæ tales, nec æquales, nec inæquales esse possunt, propriè loquendo; quia licet linea sit quanta quoad longitudinem, non habet tamen quantitatem quoad latitudinem, quoad quam est quanta superficies, quæ talis. Dico autem *propriè loquendo*; quia impropriè interdum solet extremum quantum extremum non quanto dici inæquale, & vice versa, ut superficies latior, quàm linea, & corpus profundius, quàm superficies; vel è contrà linea minùs lata, quàm superficies; & superficies minùs profunda, quàm corpus; cum tamen nec linea vllam latitudinem, nec superficies vllam profunditatem habeat. De quibus plura suo loco, ubi de quantitate.

Quomodo autem ipsa æqualitas expers sit quantitate adeò ut nulla extrema magis in se æqualia, quàm alia inter se possint esse, cum tamen inæqualitas opposita quanta sit, ob idque alia extrema magis inter se inæqualia, quàm alia inter se possint esse, sæpèque sunt. Similiterque vnum extremum magis, quàm aliud inæquale eidem tertio *quæstione præceden.* retigimus, & satis ex se notum est.

Ita verò æqualitas, oppositæque inæqualitas alia realis est, alia rationis. Et hæc alia suppositicia, alia ficta; tum alia conveniens extremis distinctis realiter, alia extremis distinctis tantum per rationem, iuxta dicta de similitudine, de oppositæque dissimilitudine *q. præced.* quæ huc pariter applicanda sunt.

QVÆSTIO III.

Quanam propositiones evidentes, aut alias certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

¹¹ **D**ico, elici, quæ sequuntur.

Propositio 1.

¹² Similitudo, & æqualitas relationes mutæ sunt cum toto rigore. Dissimilitudo verò, & inæqualitas; quadamtenus etiam mutæ dicendæ veniunt.

Itaque impossibile est, unum extremum esse simile, aut æquale alteri, quin hoc vicissim simile sit illi aut æquale; pariterque impossibile est, unum extremum esse dissimile, aut inæquale alteri, quin hoc vicissim dissimile sit, aut inæquale illi. Differunt similia, & æqualia à dissimilibus, & inæqualibus, quod similia, & æqualia relationibus eiusdem rationis; atque adeo cum toto rigore mutuis inuicem talia sunt. Inæqualia verò relationibus diuersæ rationis; atque adeo minus strictè mutuis sunt inæqualia. Idemque de dissimilibus veniendicendum; si tamen diuersis etiam relationibus sunt dissimilia iuxta dicta 9.2. & dicenda 9.4. vnde collige, impossibile esse, ut unum extremum sit inæquale alteri per excessum; atque adeo maius illo, quin hoc per defectum sit illi inæquale; atque adeo minus illo.

Propositio 2.

¹³ Quæ eidem tertio sunt æqualia, inter se sunt æqualia; & quæ eidem tertio sunt similia inter se sunt similia.

Vtraque pars propositionis ex se est satis evidens. Prima autem primum Geometriæ Axioma est traditum ab Euclid. lib. 1. Elem. ex quo Auctore alia quædam sunt sumenda per sequentes propositiones, etiam ex terminis evidentia, & satis, superque cunctis nota, ad æqualitatem, & inæqualitatem spectantia, quibus singulis affinia quæ evidentia spectantia ad similitudinem, & dissimilitudinem, ubi ea locum habuerint, adiiciemus.

Propositio 3.

¹⁴ Si æqualibus æqualia adiecta sint, tota sunt æqualia. Euclid. *ibidem* Axiom. 2. Et si similibus similia adiecta sint, tota sunt similia.

Propositio 4.

¹⁵ Si ab æqualibus æqualia ablata sint, quæ relinquuntur sunt æqualia. Euclid. *ibidem* Axiom. 3. Et si à similibus similia ablata sint, quæ relinquuntur sunt similia.

Propositio 5.

Si inæqualibus æqualia adiecta sint, tota sunt inæqualia. Euclid. *ibidem* Axiom. 4. Et si dissimilibus similia adiecta sint, tota sunt dissimilia.

Propositio 6.

Si ab inæqualibus æqualia ablata sint, reliqua sunt inæqualia. Euclid. *ibidem* Axiom. 5. Et si à dissimilibus similia ablata sint, reliqua sunt dissimilia.

Propositio 7.

Quæ eiusdem duplicia sunt, inter se sunt æqualia: Et quod vnus æqualium duplum est, duplum est & alterius æqualium. Euclid. *ibidem* Axiom. 6.

Propositio 8.

Quæ eiusdem sunt dimidia, inter se sunt æqualia, & è contrà, quæ æqualia sunt eiusdem sunt dimidia. Euclid. *ibidem* Axiom. 7.

Propositio 9.

Totum suâ parte maius est. Euclid. *ibidem* Axiom. 9. Totum suâ parte, aut simile, aut dissimile potest esse.

Propositio 10.

Si æqualibus inæqualia adiciantur, erit totum excessus adiunctorum excessui æqualis. Euclid. *ibidem* Axiom. 19. Et si inæqualibus æqualia adiungantur, erit totorum excessus excessui eorum, quæ à principio erant, æqualis. Idem *ibidem* Axiom. 16.

Propositio 11.

Si ab æqualibus inæqualia demantur, erit residuum excessus excessui ablatorum æqualis. Euclid. *ibidem* Axiom. 17. Et si ab inæqualibus æqualia demantur, erit residuum excessus excessui eorum æqualis. Idem *ibidem* Axiom. 18.

Propositio 12.

Omne totum æquale est omnibus suis partibus simul sumptis. Euclid. *ibidem* Axiom. 19.

Propositio 13.

Si totum totius est duplum, & ablatum ablati; erit & reliquum reliqui duplum. Euclid. *ibidem* Axiom. 20.

Nullam adicio explicationem istis propositionibus: quia satis per se sunt claræ, & notæ. Si quis tamen desiderauerit aliquam, adeat nostrum Clauum ad locum citatum Euclid.

Propositio 14.

Idem sibi ipsi dissimile, aut inæquale esse impossibile est.

Propositio per se est clarissima. Ex eâ autem sequitur, idem sibi ipsi quodammodo simile; & æquale censendum esse; tametsi hæc loquutio fortasse minus propria videri possit, eo quod similitudo, & æqualitas propriè dicta extremorum similia, æqualiumque distinctionem videntur postulare.

postulare. Cæterum, sicut idem sibi ipsi identifi-
catum, & secum ipso connexum à nobis concepi-
tur peractus quosdam circulares identitatis, &
connexionis, ut aliàs diximus, & est certum. Ita
sanè concipi à nobis bene potest, & sæpè concipi-
tur idem simile sibi ipsi, & æquale peractus quol-
dam circulares similitudinis, & æqualitatis. Quia
conceptione supposita cum fundamento in re non
est, cur non appellemus quamvis essentiam, quæ
nisi obiectum conceptum simile, & æquale
sibi ipsi, æquo fermè iure, ac appellamus secum ip-
so identificatum, connexumque.

Propositio 15.

26 Extrema similia possunt esse æqualia, vel inæ-
qualia; & extrema æqualia possunt esse similia,
vel dissimilia.

Propositio est certissima, & per exempla geome-
trica demonstrari potest. Constat enim ex illa
scientiâ atque etiam ex ipsis terminis, duo qua-
drata, duos triangulos æquiláteros, duos circulos, &
duas quasque alias eiusmodi figuras inter se si-
miles, aut æquales inter se, aut inæquales esse pos-
se. Tum triangulum, & quadratum, quadratum,
& parallelogrammum, aliasque huiusmodi figuras
inter se dissimiles, aut æquales inter se, aut inæ-
quales posse esse. Vnde patet, inter extrema etiam
metaphysicè tantum quanta, & quæ similia sunt
posse esse æqualia, vel inæqualia, & quæ æqualia
sunt posse esse similia, vel dissimilia. Sic duæ es-
sentiæ, inter se similes aut æquales, aut inæquales
quoad perfectionem esse possunt; patiturque duæ
dissimiles aut inæquales, aut æquales.

Propositio 16.

27 Extrema similia; quæ talia eiusdem speciei esse
dicuntur; dissimilia autem diuersæ, simpliciter, &
absolute loquendo.

Ita enim omnes censent, atque loquuntur, ut
est notum. Vnde fit primò, ad hoc ut extrema cen-
seantur, dicanturque eiusdem speciei simpliciter,
& absolute loquendo, nihil obstat, quòd sint in-
ter se inæqualia, si sunt similia, ut patet in cir-
culis, quadratis, triangulis, aliisque huiusmodi fi-
guris inter se inæqualibus, & similibus; nec non
in qualitatibus similibus, & inæqualibus quoad
intensionem; quæ ab omnibus censentur, asserun-
turque citra dubium eiusdem speciei, vnde vulga-
tum illud proloquium emanauit: *Magis, & mi-
nus non variant speciem*. Secundò fit; extrema in-
ter se dissimilia; quantumvis sint inter se æqua-
lia; diuersæ speciei venire dicenda, loquendo ab-
solute, & simpliciter, ut certum est in quadrato, &
triangulo æqualibus, quæ ob dissimilitudinem,
quam habent figuræ speciei diuersæ citra dubium
vocantur. Vnde fit tertio, neque æqualitatem ad
identitatem specificam; neque æqualitatem ad di-
uersitatem specificam extremorum sufficere. Cum
quo stat; extrema inæqualia secundum quid dici
posse diuersæ speciei: etsi simpliciter sint eiusdem
ob similitudinem, quam habent, patiturque secun-
dum quid eiusdem, quæ æqualia sunt; tamen si
ob dissimilitudinem sint diuersæ simpliciter; qua-
tenus æqualia sub aliquem conceptum communem
cadere possunt, ratione æqualitatis, sub quem inæ-
qualia non possunt cadere. Quocirca Recentio-
res aliqui duas ad rem distinguunt species, phy-
sicam scilicet, & logicam. Vocantes eiusdem spe-

ciei physicæ extrema similia; diuersæ autem dis-
similia, eiusdem verò speciei logicæ extrema æqua-
lia, aut aliam à similitudine conuenientiam habenti-
bus diuersæ autem inæqualia, aut aliam à dissimili-
tudine habentia discrepantiam, ut pluribus expo-
nemus *infra disp. 17. q. 8.* ubi etiam videbimus quæ-
nam similitudo, & æqualitas ad unitatem, quæ-
namque dissimilitudo, & inæqualitas ad diuersi-
tatem specificam sit requisita, & quâ ratione.

Modò obseruandum superest; vnumquodque 28
indè dici specificari, siue suam speciem sumere, vn-
de habet, quod talis speciei sit præ aliis: esse autem
talis speciei præ aliis inde vnumquodque habet,
vnde habet, quod talibus extremis simile, & ta-
libus dissimile sit, si agitur de specificatione
quoad speciem, quam physicam dicunt; aut quod
talibus extremis æquale, & talibus inæquale, vel
aliter cum talibus conueniens à talibusque dis-
crepans sit: Si agitur de specificatione quoad spe-
ciem, quam dicunt logicam. Quoniam autem
vnumquodque à suâ essentia habet hæc om-
nia supposita essentia aliorum extremorum ad quæ
comparatur (quandoquidem similitudo, dissimili-
tudo, æqualitas, inæqualitas &c. aliud non sunt
realiter ab essentia extremorum, quibus conue-
niunt, iuxta dicta *q. 1. & 2.*) conficitur, vnum-
quodque à suâ essentia intrinsecè specificari,
supposita essentia aliorum, ad quæ comparatur.
Verumtamen, quia essentia actus siue relationis
in vniuersum ex proprio, & formali conceptu
intrinsecè respectu est ad subiectum, & terminum
extrinsecè à tali subiecto, & termino censetur
habere, quod talis essentia præ aliis sit, quatenus
actus, siue relatio ex eo talem essentiam præ aliis
habet, quia talis subiecti ad talem terminum præ
aliis actus, siue relatio est: quo iure etiam à tali
subiecto, & tali termino extrinsecè specificari
censetur, passimque dicitur. Sed quâ ratione hoc ve-
rū sit, & in quibus casibus, ex dicendis *q. 4.* cõstabit.

Propositio 17.

Quæ eidem tertio sunt dissimilia, aut inæqualia; 29
inter se tum dissimilia, aut inæqualia, tum similia,
aut æqualia, esse possunt.

Prior pars cernitur in tribus quibusque essentia
specie inter se diuersis, aut physicæ, aut logicæ: at-
que adeò inter se dissimilibus, aut inæqualibus:
vnaquæque enim aliis duabus dissimilis, aut inæ-
qualis est, sitque duæ quæque, tum inter se, tum
eidem tertio dissimiles sunt, aut inæquales. Se-
cunda autem pars cernitur; quoties duæ essentia
eiusdem speciei physicæ, aut logicæ; atque adeò
similes inter se, aut æquales à tertii essentia di-
stinguuntur specie physicæ, aut logicæ; eidem-
que subinde dissimiles, aut inæquales sunt.

Propositio 18

Quæ inter se sunt dissimilia; aut inæqualia, ei-
dem tertio similia, aut æqualia esse nequeunt. 30

Nam, alioquin possent similia, aut æqualia ei-
dem tertio non esse similia, aut æqualia inter se con-
tra *prop. 2.*

Propositio 19.

Quæ inter se sunt similia, aut æqualia, eidem 31
tertio tum similia, aut æqualia possunt esse; tum
dissimilia, aut inæqualia.

Quod

Quod possint esse eidem tertio similia, aut æqualia ex *propos. 2.* compertum est. Quod dissimilia item, aut inæqualia possint esse ex *propos. 17.* est conspicuum.

Propositio 20.

- 32 Idem tertium extremis inter se dissimilibus, aut inæqualibus simile, aut æquale esse nequit.

Nam aliàs extrema similia, aut æqualia eidem tertio possent inter se non esse similia, aut æqualia contra *propos. 2.*

Propositio 21.

- 33 Idem tertium extremis inter se similibus, aut æqualibus tum simile, aut æquale, tum dissimile, aut inæquale esse potest.

Vtraque pars propositionis constat ex *propos. 19.* cum enim iuxta illam extrema inter se similia, aut æqualia eidem tertio sunt similia, aut æqualia, tunc per *propos. 1.* & tertium vicissim est illis æquale, aut simile, tunc verò inæquale, aut dissimile, cum iuxta eandem sunt ipsi tertio inæqualia, aut dissimilia extrema ipsa inter se similia, aut æqualia.

Propositio 22.

- 34 Quoties primum secundo, & secundum tertio simile est, aut æquale, non potest non primum tertio simile quoque esse, aut æquale.

Quia in tali casu nequit non tertium esse vicissim simile, aut æquale secundo iuxta *propos. 1.* Stantque primum simul, & tertium similia, aut æqualia esse eidem secundo, atque ita etiam inter se, iuxta *propos. 2.*

Propositio 23.

- 35 Quoties primum secundo, & secundum tertio dissimile est, aut inæquale, primum tertio; tum dissimile item, aut inæquale; tum simile, aut æquale esse potest.

Quia in tali casu nequit non tertium esse vicissim dissimile, aut inæquale secundo, iuxta *propos. 1.* Stantque primum simul & tertium dissimilia, aut inæqualia esse eidem secundo. Quoties autem, duo quæque extrema eidem tertio, quale in dato casu est secundum, sunt dissimilia, aut inæqualia inter se tum dissimilia, aut inæqualia, tum similia, aut æqualia esse possunt, iuxta *propos. 17.*

Propositio 24.

- 36 Quod vni plurium inter se similiū, aut æqualium simile, aut æquale est, & cæteris est simile, aut æquale.

Est clarum; quia si alicui eorum simile, aut æquale non esset, simile, aut æquale esset vni simili, aut æquali alteri, quin huic alteri tale esset; atque ita primum secundo, & secundum tertio simile esset, aut æquale, quin ipsum primum ipsi tertio simile esset, aut æquale contra *propos. 22.*

Propositio 25.

- 37 Quæcumque pluribus inter se similibus, aut æqualibus similia, aut æqualia sunt, eidem tertio sunt similia, aut æqualia.

Quia quoduis illorum cuilibet horum est simi-

le, aut æquale, iuxta *propos. 24.* ergò omnia, & singula illa vnicuique horum, & consequenter eidem tertio similia, aut æqualia sunt.

Propositio 26.

Quod vni plurium similiū inter se, aut æqualium dissimile, aut inæquale est, & cæteris est dissimile, aut inæquale.

Si enim primum dissimile, aut inæquale secundo, quod simile, aut æquale ponitur tertio, ipsi tertio non esset dissimile, aut inæquale; tam primum, quàm secundum esset simile, aut æquale eidem tertio, & nihilominus inter se, ut ponitur, essent dissimilia, aut inæqualia contra *propos. 2.*

Propositio 27.

Quæcumque pluribus inter se similibus, aut æqualibus sunt dissimilia, aut inæqualia, eidem tertio sunt dissimilia, aut inæqualia.

Quia, quoduis illorum cuilibet horum est dissimile, aut inæquale, iuxta *propos. 26.* Ergò omnia, & singula illa vnicuique horum, & consequenter eidem tertio sunt dissimilia, aut inæqualia.

Propositio 28.

Quoties plura pluribus aliis inter se similibus, aut æqualibus sunt similia, aut æqualia, & inter se sunt similia, aut æqualia.

Est clarum: quia sunt similia, aut æqualia eidem tertio, iuxta *propos. 26.* atque adeò etiam inter se, iuxta *propos. 2.*

Propositio 29.

Quoties plura pluribus aliis inter se similibus, aut æqualibus sunt dissimilia, aut inæqualia, inter se tum dissimilia, aut inæqualia, tum similia, aut æqualia esse possunt.

Quia sunt dissimilia, aut inæqualia eidem tertio iuxta *propos. 27.* Quæ autem eidem tertio sunt dissimilia, aut inæqualia inter se, tum dissimilia, aut inæqualia, tum similia, aut æqualia esse possunt, iuxta *propos. 17.*

Propositio 30.

Quæ non possunt esse similia, eo ipso sunt necessario dissimilia; atque item vice versa. Et, quæ non possunt esse æqualia, & quanta sunt eiusdem generis, eo ipso sunt necessario inæqualia; atque item vice versa.

Propositio est certissima: quia similitudo, & dissimilitudo in quibusvis extremis sunt relationes citra medium oppositæ; pariterque æqualitas, & inæqualitas in extremis quantis eiusdem generis, ut constat ex dictis 9. 1. & 2. Vnde extrema, quæ non habent ynam necessario habent alteram, & è conuerso.

Propositio 31.

Quoties plura inter se sunt dissimilia, aut inæqualia pluribus aliis similibus inter se, aut æqualibus, similia, aut æqualia esse nequeunt.

Quia nequeunt esse similia, aut æqualia eidem tertio, iuxta *propos. 18.* essent autem similia, aut

Disp. XVI. De similitud. dissim. &c. Quæst. III. 23

aut æqualia eidem tertio, si pluribus aliis similibus inter se aut æqualibus essent similia, aut æqualia iuxta *propof. 25*. Vnde iuxta *propof. 30*. sequitur: quoties plura sunt inter se dissimilia, aut inæqualia pluribus aliis similibus inter se, aut æqualibus necessitè esse dissimilia, aut inæqualia.

Propositio 32.

- 44 Quoties plura pluribus aliis inter se dissimilibus, aut inæqualibus sunt similia, aut æqualia inter se sunt dissimilia, aut inæqualia.

Nam alioquin, cum in tali casu posteriora plura prioribus sint vicissim similia, aut æqualia iuxta *propof. 1*. si priora essent inter se similia, aut æqualia, posteriora, quæ inter se dissimilia, aut inæqualia ponuntur prioribus inter se similibus, aut æqualibus essent similia, aut æqualia contra *propof. 31*.

Propositio 33.

- 45 Quoties plura inter se sunt similia, aut æqualia, pluribus aliis inter se dissimilibus, aut inæqualibus similia, aut æqualia esse nequeunt.

Quia posteriora plura vicissim per *propof. 1*. Similia, aut æqualia essent prioribus, atque ita plura inter se dissimilia, aut inæqualia pluribus aliis similibus inter se, aut æqualibus, similia, aut æqualia essent contra *propof. 31*. Vnde iuxta *propof. 30*. sequitur, quoties plura sunt inter se similia, aut æqualia, pluribus aliis inter se dissimilibus, aut inæqualibus necessitè esse dissimilia, aut inæqualia.

Propositio 34.

- 46 Quæcumque eidem tertio sunt similia, aut æqualia, & cæteris, quibus tale tertium est simile, aut æquale sunt similia, aut æqualia.

Quia talia cætera tali tertio vicissim sunt similia, aut æqualia, iuxta *propof. 1*. omnia autem eidem tertio similia, aut æqualia, similia, aut æqualia sunt inter se iuxta *propof. 2*.

Propositio 35.

- 47 Quæcumque eidem tertio sunt dissimilia, aut inæqualia, & cæteris similibus, aut æqualibus tali tertio sunt dissimilia, aut inæqualia.

Quia, quod vni similitum, aut æqualium dissimile, aut inæquale est, & cæteris tale est iuxta *propof. 26*.

Propositio 36.

- 48 Quoties plura sunt inter se similia, aut æqualia, pluribus aliis inter se similibus, aut æqualibus, tum similia, aut æqualia, tum dissimilia, aut inæqualia esse possunt.

Quia talia esse possunt eidem tertio, iuxta *propof. 19*. Quæ autem eidem tertio tum similia, aut æqualia, tum dissimilia, aut inæqualia esse possunt; consequenter talia esse possunt omnibus tali tertio similibus, aut æqualibus, iuxta *propof. 34*. & 35.

Propositio 37.

- 49 Quoties plura sunt inter se dissimilia, aut inæqualia, pluribus aliis inter se dissimilibus, aut inæqualibus dissimilia, aut inæqualia possunt imprimis esse omni modo. Deinde possunt esse similia,

aut æqualia; non tamen singula omnibus singulis, sed per distributionem accommodam.

Prima pars propositionis apparet in his duobus aggregatis A, B, C, D. & E, F, G, H. singulæ enim partes prioris omnibus singulis posterioris, & totum totum sunt dissimilia, necnon in his 1. 2. 3. 4. & 5. 6. 7. 8. Prioris namque singulæ partes omnibus singulis posterioris, & totum totum sunt inæqualia. Secunda autem pars propositionis apparet in his A, B, C, D. & A, B, C, D. Prioris enim quælibet pars in posteriore habet aliquam sibi similem; atque ita totum totum est simile; singulæ tamen partes vnius alterius omnibus singulis non sunt similes; necnon in his 1. 2. 3. 4. & 1. 2. 3. 4. prioris namque, quælibet pars in posteriore habet aliquam sibi æqualem; atque ita totum totum est æquale: singulæ tamen partes vnius alterius omnibus singulis non sunt æquales.

Propositio 38.

- 50 Quoties plura pluribus aliis inter se dissimilibus, aut æqualibus sunt dissimilia, aut inæqualia, inter se tum dissimilia, aut inæqualia, tum similia, aut æqualia esse possunt.

Possunt esse dissimilia, aut inæqualia: quia bene stat, esse inter se dissimilia, aut inæqualia, quæ pluribus aliis dissimilibus inter se, aut inæqualibus sunt dissimilia, aut inæqualia, iuxta *propof. 37*. Possunt item esse similia, aut æqualia: quia bene etiam stat, esse inter se similia, aut æqualia, quæ pluribus aliis dissimilibus inter se, aut inæqualibus dissimilia sunt, aut inæqualia, iuxta *propof. 33*.

Propositio 39.

- 51 Quoties essentia composita partes inter se sunt dissimiles, & ipsi essentia sunt dissimiles, vicissimque essentia ipsa earum singulis dissimilis est.

Nam aliàs, quæ inter se sunt dissimilia, eidem tertio possent esse similia contra *propof. 18*. ipsumque tertium posset illis simile esse contra *propof. 20*.

Propositio 40.

- 52 Quoties omnes partes essentia composita, sunt inter se similes, & ipsi essentia sunt similes, vicissimque essentia ipsa earum singulis similis est.

Hæc propositio certissima est, constatque in omnibus compositis homogeneis, quæ manifestè sunt similia singulis suis partibus; hoc ipso, quod istæ inter se vicissim sunt similes; ut cernere est in aqua composita ex aquis partialibus mutuo similibus, & eis propterea procul simili; in lumine composito pariter ex luminibus partialibus in aliisque huiusmodi compositis ex partibus inter se similibus. Et ratio quasi à priori est: quia quoties cuiusvis compositi omnes partes sunt inter se similes, necundè potest nasci dissimilitudo inter ipsas, & compositum; ut potè quod cum aggregato omnium suarum partium est idem omnino.

Ex hac, & præced. *propof.* colligitur primò: discrimen inter æqualitatem, inæqualitatemque ex vnâ parte, & similitudinem, dissimilitudinemque ex alterâ. Quod totum nunquam esse potest æquale singulis suis partibus, quantumvis omnes illæ

illae inter se sint aequales, siquidem totum semper est maius sua parte iuxta primam partem *propositi*.
 9. Potest tamen cum simile, tum dissimile singulis suis partibus esse, iuxta secundam; siquidem, quando aliqua suarum partium sunt inter se dissimiles, eorum singulis est dissimile: simile autem quando sunt omnes inter se similes, iuxta hanc, & *praece*, *propositi*.

54. Secundo colligitur ratio, cur pars dissimilis reliquis, essentialis composito dici soleat, & debeat, similis vero non essentialis, sed integralis. Ratio enim est: quia, deficiente parte dissimili reliquis, eadem essentia specifica, quae erat in composito permanere non potest; essentia siquidem residui, quae permanet, diuersa specificè est ab essentia compositi, ut potè dissimilis illi; proindeque, pars dissimilis reliquis omnino necessaria, atque adeò essentialis est ad hoc, ut essentia specifica compositi valeat subsistere. At, deficiente parte simili reliquis, eadem essentia specifica compositi permanet in residuo; siquidem essentia compositi, & essentia talis residui ob similitudinem, quam habent, eiusdem speciei sunt simpliciter talis (de qua hic agitur) eademque subinde appellantur essentia specifica. Quo fit, ut pars similis reliquis necessaria non sit; atque adeò nec essentialis ad hoc, ut subsistere valeat essentia specifica compositi; proindeque non essentialis composito; sed integralis dicitur. Sic forma aquae pars essentialis aquae est; quia absque tali forma essentia specifica aquae stare non potest: aqua verò partialis, aquae totali ex illa, & ex aliis composita essentialis non est: quia absque illa essentia specifica aquae stare potest in residuo.

Propositio 41.

55. Quoties aliqua pars vnius compositi omnibus, & singulis partibus alterius compositi dissimilis, aut inaequalis est, & ipsa composita inter se sunt dissimilia, aut inaequalia.

Est certum, euidensque ex terminis ipsis: quia planè repugnat, esse composita inter se similia, aut aequalia, quando aliquid vnius nihil omnino habet in altero, quod sibi sit simile, aut aequale; uti in casu propositionis euenit: multòque magis consequenter id repugnat, quando plures, aut omnes partes vnius nullam sibi similem, aut aequalem in altero habuerint, ut constat.

Propositio 42.

56. Quoties omnes, & singulae partes vnius compositi totidem sibi similes, aut aequales habent in altero, & vice versà, non possunt non talia composita esse inter se similia, aut aequalia.

Quia, nihil est in tali casu, unde eorum dissimilitudo, aut inaequalitas nasci possit, ut est notissimum, idque siue partes vniuscuiusque compositi dissimiles, aut inaequales sint comparatae inter se, siue sint similes, aut aequales. Ob id enim composita ista A B C D. A B C D similia, & aequalia inter se sunt; tametsi partes vniuscuiusque dissimiles; & inaequales sint inter se: quia omnes, & singulae partes vnius totidem sibi similes & aequales habent in altero, & vice versà: atque hæc satis modò.

Propositio 43.

57. Omnis diuersitas rerum ad tres omnino species

reducitur nempe ad distinctionem, dissimilitudinem, & inaequalitatem, ex quibus secunda, & tertia necessariò sunt connexae cum primà; sed non vice versà. Inter secundam autem, & tertiam neque connexio datur, neque oppositio.

Prima propositionis pars inde constat; quia, ut unicuique consideranti apparebit, ob nihil aliud dicuntur res intrinsecè inter se diuersae, nisi, quia, vel distinctae, vel dissimiles, vel inaequales sunt inter se; extrinsecè autem ob nihil aliud diuersae dicenda veniunt, nisi quia ea, à quibus diuersificantur extrinsecè, vel distinctè, vel dissimilia, vel inaequalia inter se sunt. Diuersitas autem statuum eiusdem rei his omnibus est minor: quia extremis inter se identificatis conuenit. Quocirca minus propriè diuersitas dicitur, de qua satis est dictum *supra disp.* 10.

Secunda autem propositionis pars inde monstratur: quia, cum idem sibi ipsi dissimile, aut inaequale esse nequeat, iuxta *propositi*. 14. consequens est, ut non possint extrema vlla esse inter se dissimilia, vel inaequalia, quin inter se distincta sint; cum tamen posse aliqua extrema esse inter se distincta, quin sint inter se dissimilia, vel inaequalia prorsus indubitabile sit.

Tertia denique propositionis pars inde constat: quia, cum extrema similia possint esse aequalia, vel inaequalia, & extrema aequalia possint esse similia, vel dissimilia, iuxta *propositi*. 15. conficitur planè, dissimilitudinem nec poscere; nec recusare consortium inaequalitatis; pariterque inaequalitatem nec poscere; nec recusare consortium dissimilitudinis; quod ipsum est inter illas nec oppositionem dari, nec connexionem.

QVÆSTIO IV.

Utrum actus in vniuersum ita à suis subiectis, & terminis specificentur, ut non possint non esse specie diuersi, quotiescumque aut subiecta specie diuersa, aut terminos specie diuersos habent.

Nomine actus omnem omnino respectum, siue relationem amplector iuxta dicta *disp.* 8. & 14. specie autem diuersa dico tum, quæ talia sunt simpliciter, ut dissimilia, tum quæ talia sunt secundum quid, ut inaequalia iuxta dicta nuper 9. 3. *propositi*. 16. Itaque, quaestio imprimis est: utrum actus respicientes aut subiecta inter se dissimilia, vel inaequalia, aut terminos inter se dissimiles, vel inaequales à tali subiectorum, vel terminorum dissimilitudine, vel inaequalitate sibi extrinsecè necessariò inter se dissimiles, vel inaequales intrinsecè euadere debeant. Videntur affirmare plerique, dum in specialioribus materiis penes diuersitatem subiectorum, aut terminorum ponunt communiter actus specie diuersos simpliciter; atque etiam inaequales quoad perfectionem penes inaequalitatem, quam habent eorum termini, aut subiecta; atque ita eò perfectiorem censent esse, ceteris partibus, conceptum quemuis respectum, quo perfectius est id, quod respicit. Ceterum, nisi ego fallor, distinctione multa opus est.

Pro resolutione suppono primum. Duplex genus actuum,

actum, quod ad rem attinet, distingui oportere consentaneè ad doctrinam traditam disp. 8. alterum eorum, qui re ipsa formales sunt atque ita realiter, & adæquate à subiecto, & termino sunt distincti, ut actio, passio, unio, cognitio, volitio, præsentia, & cæteri huiusmodi: alterum eorum, qui re ipsa non sunt formales; atque ita in suo conceptu reali includunt vel subiectum, vel terminum, vel utrumque, ut distinctio, oppositio, consonantia, dissonantia, resistentia, potentia, &c. similes.

62 Suppono secundò, vnum eundemque actum re ipsa formalem aut duo subiecta, aut duos terminos indiuisim, posse respicere, quod fit, quando totus, & integer actus per quamdam sui repetitionem respicit vnum, & alterum; totius enim actus vnum, & totus alterum nequit respicere, prout opus est, ut respiciat indiuisim utrumque, nisi per sui repetitionem circa vnum, & alterum, ut est notissimum: termini autem, aut subiecta per eundem actum indiuisim respecta aut similia, aut dissimilia inter se esse possunt tum aut inæqualia, aut æqualia, ut constat. Cernitur id in actione haud dubiè possibili, per quam indiuisim duo effectus produci possunt aut similes inter se, aut dissimiles, aut æquales, aut inæquales; tum in cognitione tangente pariter duo obiecta, tum in volitione, & aliis huiusmodi.

63 Suppono tertio, actum re ipsa formalem per suam essentiam physicam respicere quidquid respicit: quia respicit respectu sibi intrinseco, & adæquate identificato realiter, quo nihil desideratur, ut talis respectus de essentia eius physica sit. Vnde patet, talem respectum tali actui essentialem esse, ac penitus indefectibilem; proindeque actum habentem talem respectum non posse non esse diuersum, seu differentem saltem numericè ab actu non habente illum; sed alium. His positis sit

Propositio 1.

64 Quoties aut termini, aut subiecta in conceptibus realibus actuum clauduntur, iuxta dicta suppositione primà, suntque inter se dissimilia, vel inæqualia, non possunt non actus ipsi esse inter se dissimiles, aut inæquales re ipsa.

Est clarum: quia in tali casu, aggregata fundamentorum, in quibus actus sumpti realiter consistunt dissimilia sunt, aut inæqualia dissimilitudine, aut inæqualitate partium, quas habent, iuxta prop. 41. Statuta 9. 3.

65 Vtrum autem huiusmodi actus sumpti formaliter, seu prout concipiuntur à nobis dissimiles etiam, aut inæquales necessariò debeant euadere quoad suos intrinsecos conceptus, aut solum quoad terminos, aut subiecta extrinseca ipsis, ex postmodum dicendis constabit.

Propositio 2.

66 Actus re ipsa formales iuxta dicta suppositione primà non necessariò euadunt dissimiles quoad suum esse intrinsecum ex eo quod eorum termini dissimiles inter se sint; sed similes esse possunt intrinsecè, quantumvis eorum termini sint inter se similes.

Probatur propositio primò: quia, quando vnus actus indiuisim; atque adeò per sui repetitionem iuxta suppositionem secundam respicit duos terminos dissimiles, à terminorum dissimilitudine non euadit dissimilis sibi ipsi; quia id est impossibile,

Pharus Scientiarum, Tom. II,

ut constat ex se, & ex prop. 14. Statuta 9. 3. Ergo, neque quando duo actus diuisim respiciunt duos terminos dissimiles, à terminorum dissimilitudine dissimiles euadent; atque adeò intrinsecè similes esse poterunt, quantumvis eorum termini dissimiles inter se sint. Consequentia videbitur bona: quia nō est cur termini dissimiles terminent necessariò dissimiles actus, quandoquidē vnum, & eundē, qui sibi simillimus est, terminare valeat. Et confirmari potest: quia vnio extremorū dissimiliū, ut animæ, & corporis nequaquā, prout respiciens vnum sibi, prout respicienti alterum realiter, & intrinsecè dissimilis est: quia penitus est id impossibile, ut diximus: ergo respicere dissimilia, loquendo absolute, nullam importat intrinsecam dissimilitudinem; poterunt ergo duo etiam, vel plures actus dissimilia respicere, quin inter se quoad suas entitates intrinsecas dissimiles sint.

Secundò probatur propositio: quia certum est, actus dissimiles circa terminos similes, aut etiam circa eundem versari posse, ut patet in actibus productionis, & cognitionis similium terminorum, aut etiam eiusdem: ergo è conuerso actus similes circa dissimiles terminos versari poterunt: quia non satis apparet, cur termini dissimiles debeant necessariò refundere realem dissimilitudinem in actus aliàs futuros similes, & termini similes non debeant necessariò refundere similitudinem realem in actus aliàs futuros dissimiles.

Tertio probatur: quia certum est etiam, actus habentes dissimiles terminos ex præciso modo tendendi in ipsos similes prorsus esse posse, ut patet in productionibus, quibus dissimiles effectus eodem prorsus modo dependent ab eodem principio, in cognitionibus, quibus dissimilia obiecta eodem prorsus modo cognoscuntur ab eodem intellectu, & in aliis huiusmodi; sed nihil est excogitabile in actibus prout respicientibus terminos ab ipsis terminis condistinctum propter tendentiam; atque adeò propter modum tendendi eorum in tales terminos, ut satis ex se videtur eorum: & consequenter in actibus habentibus terminos dissimiles, & ex præciso modo tendendi in ipsos similibus nihil est excogitabile, vnde intrinsecè, realiterque habeant esse dissimiles propter dissimilitudinem extrinsecam terminorum: ergo huiusmodi actus ex præciso modo tendendi similes realiter, & vndequeque sunt similes, quantumvis termini eorum dissimiles inter se sint.

Quartò probatur: quia actus distincti circa terminos identificados versari possunt; & actus inconnexi circa terminos connexos, & actus non oppositi circa terminos oppositos, ut est certissimum: ergo & actus non dissimiles; atque adeò similes circa terminos dissimiles.

Quintò probatur: quia nulla videtur excogitabilis idonea ratio, cur actus in se ipsis necessariò debeant esse dissimiles ex eo quod eorum termini dissimiles sint inter se: cum enim actus suis terminis possint esse dissimiles, & sæpè sapius sint, ut constat, terminorum dissimilitudo similitudini actuum obstat non potest; siquidem, bene possunt esse inter se similia, quæ pluribus aliis inter se dissimilibus sunt dissimilia; iuxta prop. 38. Statuta 9. 3. tametsi nequeant esse inter se similia, quæ pluribus aliis inter se dissimilibus sunt similia, iuxta prop. 32. Statuta ibid. Ob idque actus habentes terminos inter se dissimiles nequeant similes inter se esse, sed necessariò debeant esse dissimiles, quando ipsis terminis sunt similes.

C Sexto

71 Sexto denique probatur propositio: quia bene possunt esse actus, de quibus agimus, intrinsecè æquales, quantumvis eorum termini sint inæquales, ut videbimus *propos. 4.* Ergo bene quoque possunt esse actus, de quibus agimus, intrinsecè similes, quantumvis eorum termini dissimiles sint. Eadem quippe, quoad rem attinet, est ratio de similitudine, ac de æqualitate, ut est notum.

72 Verum, contra statutam propositionem obiici potest primò. Actus, quorum termini sunt inter se specie diversi, eo ipso sunt inter se specie diversi, iuxta communem, firmamque Philosophorum, ac Theologorum persuasionem: ergo actus, quorum termini sunt inter se dissimiles, eo ipso sunt inter se dissimiles. Consequentia est bona: quia ea dumtaxat, simpliciter, & absolute loquendo specie inter se diversa dicuntur, quæ sunt inter se dissimilia, ut constat ex dictis. Antecedens autem probatur: quia iuxta communem omnium sententiam, actus virtutum, & vitiorum specie inter se diversi sunt, hoc ipso, quod objecta eorum præsertim formalia inter se sunt specie diversa: Cognitiones etiam objectorum, præsertim formalium specie inter se diversorum specie inter se diversæ reputantur communiter; pariterque, productiones diversorum effectuum, vñones diversorum extremorum, & vñiversum relationes diversorum terminorum.

73 Pro solutione noto primò ex dicendis *infra à disp. 17. q. 8.* quoties termini actuum apparent inter se dissimiles, actus quantumvis intrinsecè sint similes, sub vñum conceptum cunctis communem neutiquam cadere posse. Et quoniam, quæ defectu similitudinis sub vñum conceptum cadere nequeunt, specie diversa reputantur, atque dicuntur; idcirco actus, quantumvis inter se intrinsecè similes, quorum termini sunt dissimiles, specie diversi reputantur, atque dicuntur, diversitate scilicet non quidem intrinsecà sui, sed extrinsecà terminorum. Vnde notandum est secundò, bifarià dici posse actus specie diversos. Primò diversitate intrinsecà, quando ipsi inter se sunt dissimiles. Secundò diversitate extrinsecà, quando non ipsi, sed eorum termini sunt dissimiles; & hæc de actibus non includentibus terminos in suis conceptibus realibus. De includentibus vero notandum est tertio, tamen illi quoad conceptus formales similes apparere possint, iuxta dicenda postmodum: quia tamen quoad conceptus reales dissimiles intrinsecè sunt à dissimilitudine terminorum, quos intrinsecè claudunt, non solum extrinsecà, sed intrinsecà item diversitate posse eos, aut etiam solere dici specie diversos.

74 Ex his ad argumentum respondeo vñiversè; actus, quorum termini sunt specie diversi, eo ipso specie diversos merito reputari, ac dici, loquendo absolute; tamen multi eorum non intrinsecà, sed extrinsecà tantum diversitate sunt specie diversi; eo quod non intrinsecà, sed extrinsecà tantum suorum terminorum dissimilitudine sunt inter se dissimiles. Hæc namque dissimilitudo terminorum sufficit, ut illi cadere non possint sub vñum conceptum communem; atque, adeò, ut absolute dicantur esse non eiusdem; sed diversæ speciei. Vnde patet, propositionem nostram sententiæ communi non refragari absolute, & indistinctè asserenti, esse diversæ speciei actus, qui terminos habent specie diversos; verè enim sunt diversæ speciei: diversitate tamen vel intrinsecà, vel extrinsecà. Vnde, ad specialiora descendens dico, actus virtutum, & vitiorum habentes objecta formalia specie diversa esse quidem

diversos specie tam quoad esse morale, quam quoad physicum saltem diversitate extrinsecà; quoad morale verò, speciatim forasè etiam intrinsecà: quia fortasse quoad esse morale includunt in suo conceptu reali ipsa objecta formalia, tanquam vñum ex fundamentis suæ bonitatis, aut malitiæ moralis. De quo suo loco. Cognitiones similiter, quorum objecta specie differunt diversitate saltem extrinsecà sunt specie diversi; pariterque actiones diversorum effectuum, vñones diversorum extremorum, & vñiversim relationes diversorum terminorum; nisi earum aliqua ex speciali modo tendendi insuper diversitate intrinsecà sint specie diversa.

Secundò obiici potest. Omnes actus specificantur à suis terminis: ergo quoties termini sunt specie diversi, & actus sunt specie diversi. Distinguo antecedens. Specificantur intrinsecè, nego: extrinsecè, concedo. Tum etiam consequens: ergo quoties termini sunt specie diversi, & actus sunt specie diversi diversitate intrinsecà, nego, extrinsecà, concedo. Ex quo contrarios nihil.

Tertio obiici potest. Actus seorsim tendentes in terminos individualiter diversos necessariò sunt inter se individualiter diversi diversitate intrinsecà; ergo, actus seorsim tendentes in terminos specificè diversos necessariò sunt inter se specificè diversi diversitate intrinsecà. Concesso antecedente, nego consequentiam: quoniam distinctio realis terminorum absque distinctione reali actuum tendentium in ipsos seorsim contradictionem implicat, ut patet in casu, quod idem actus tenderet in A & non in B; atque etiam in B, & non in A. Dissimilitudo verò realis terminorum absque dissimilitudine reali actuum tendentium in ipsos seorsim nullum fert secum inconueniens, ut constat ex dictis. Vnde apparet ad rem discrimen inter diversitatem specificam consistentem in dissimilitudine, & numericam consistentem in distinctione eorum, quæ diversa dicuntur. Itaque, ut actus tendant seorsim in terminos distinctos realiter amplius non exposcunt, quam esse inter se distinctos realiter, siue termini vltra realem distinctionem realem etiam dissimilitudinem habeant, siue non habeant. Quia tendere seorsim in terminos distinctos dumtaxat importat distinctionem in ipsis tendentibus, qualescumque demum termini sint, ut ex se patet, sicut tendere indivisim in terminos distinctos dumtaxat importat identitatem in ipsa tendentiâ, qualescumque demum sint termini, ut etiam est notum.

Ex dictis circa hanc propositionem colligitur primò, actus re ipsâ formales, de quibus in ea sermo est, ex vi præcisè habendi terminos dissimiles; atque adeo specie diversos non evadere specie diversos diversitate intrinsecà; evadere tamen specie diversos diversitate intrinsecà, quod satis est, ut absolute dicantur specie diversi: quatenus satis est, ut sub eundem conceptum specificum absolute non possint cadere; eâ suorum terminorum diversitate retentâ. Evadent tamen insuper specie diversi diversitate intrinsecà, si aliunde ex proprio modo tendendi dissimiles intrinsecè sint, ut sæpe fit. Secundò colligitur, actus re ipsâ formales habentes terminos similes absolute esse eiusdem speciei, quando ipsi intrinsecè etiam sunt similes; diversi autè, quando ipsi intrinsecè ex proprio modo tendendi dissimiles sunt; quia in hoc etiam casu, sunt absolute non adunabiles sub eundem conceptum specificum; imò in hoc casu eorum diversitas specifica intrinsecà est, ut est notum.

Tertio colligitur, actus non re ipsâ, sed tantum ex

ex modo concipiendi nostro formales, includentesque in suo conceptu reali terminos inter se dissimiles, et sic ipsa sint propterea dissimiles dissimilitudine intrinseca, iuxta *prop. 1.* atque adeo absolute specie diversi non solum extrinseca, sed etiam intrinseca diversitate dicendi veniant. Quod attinet tamen ad suos conceptus formales intrinsece similes esse posse; sapereque esse: quia, cum concipiuntur à nobis, ut quid adæquate distinctum à suis terminis tendens in ipsos, nihil verat, eos concipi similes; etsi eorum termini concipiuntur dissimiles, sapereque ob id sic concipiuntur, siquidem nihil verat, actus re ipsa formales reipsa esse similes, etsi eorum termini, in quos tendunt, sint re ipsa dissimiles, sapereque etiam ob id tales iuxta præsentem propositionem. Unde, si ad conceptus formales, quos tantum in mente nostra obiectivè habent prædicti actus, attendatur, diversitate illi tantum extrinseca specie diversi dici poterunt.

Propositio 3.

80 Actus re ipsa formales non necessariò evadunt dissimiles quoad suum esse intrinsecum ex eo, quod eorum subiecta dissimilia sunt inter se; sed similes esse possunt intrinsece, quantumvis eorum subiecta inter se dissimilia sint.

Hæc propositio eodem profuso modo, ac præcedens, probanda venit: quia actus, de quibus in eâ sermo est, eodem prorsus modo, quod ad rem attinet, ad sua subiecta, atque ad suos terminos comparantur. Quare quæcumque pro præcedente propositione sunt dicta, huic pariter applicanda sunt. Solum aduerto: etsi actus intrinsece similes perinde à dissimilitudine subiectorum, atque à dissimilitudine terminorum absolute specie diversi diversitate extrinseca veniant dicendi; tum prout se habentes reipsa; tum prout à nobis in abstracto concepti; eo quod ut sic sub eundem conceptum specificum absolute cadere nequeunt: Concreta tamen, quæ ex talibus actibus, ex talibusque subiectis resultant, prout concipiuntur à nobis eiusdem speciei dici posse, & sapere solere, eo quod prout concipiuntur à nobis similia inter se; atque adeo sub eundem conceptum specificum adunabilia apparent; occultatà videlicet dissimilitudine subiectonum præ confusione conceptionis eorum sub similitudine actuum, qui expressius concipiuntur, iuxta dicenda susius *infra disp. 17. q. 8.*

Propositio 4.

81 Actus re ipsa formales non evadunt necessariò inæquales quoad suum esse intrinsecum ex eo, quod eorum termini inæquales sint inter se; sed æquales esse possunt intrinsece, quantumvis eorum termini sint inter se inæquales.

Hæc propositio eisdem argumentis, quibus probata est secunda, probanda venit, quæ illi propterea ab unoquoque sunt applicanda. Insuper tamen inde primò probatur: quia certum est, obiecta inæqualia quoad intentionem physicam per cognitiones, aut volitiones æque physicè intensas attingi posse: quis enim neget, posse æque intense videri, imaginari, intelligi, aut appeti accidentia intensa inæqualiter. Ergo certum quoque esse debet, circa obiecta quovis alio modo inæqualia physicè, aut metaphysicè actus quovis etiam modo æquales versari posse.

82 Deinde certum est etiam, per actus cognitionis, *Pharus Scientiarum; Tom. 11.*

& volitionis divinos, aut etiam creatos indivisibiles physicè; atque adeo quoad quantitatem physicam tam intentionis, quam extensionis intrinsece æquales obiecta multa de facto tangi quanta inæqualiter physica quantitate tum intentionis, tum extensionis: ergo nihil verat, per actus æquales quovis alio genere quantitatis terminos quovis etiam alio genere quantitatis inter se inæquales attingi.

Præterea certum est etiam, per cognitiones æque claras; atque adeo æque perfectas quoad claritatem, obiecta inæqualia quoad quodvis genus perfectionis seu physicæ, seu metaphysicæ posse cognosci, sapereque cognosci de facto: omnes enim cognitiones divinas, & multæ creatæ, quibus obiecta quovis modo inæqualia cognoscuntur, æquales sunt quoad claritatem: ergo inæqualitas terminorum actuum tendentium in ipsos æqualitati nihil obstat in quovis genere.

Obiici tamen potest contra propositionem. 84 Melius est videre obiectum formosum, quam formosiusque, quam minùs formosum, & uniusformiusque, quam minùs formosum, & uniusformiusque melius est cognoscere obiectum perfectius, quam minùs perfectum; ob id enim cognitio de Deo tam abstractiva, quam intuitiva cognitionibus de creaturis præstantior est, & appetibilior. Melius est etiam amare maius bonum, quam minùs bonum, maiorque semper delectatio capitur de maiori bono, quam de minori, propterea amor Dei amore cuiusvis obiecti præstantior est. Ergo, quod perfectior est terminus, eò perfectior est actus tendens in illum; atque adeo circa terminos perfectione inæquales actus perfectione æquales versari non possunt. Respondeo primò, esto actus cognitionis, & amoris ob suam peculiarem naturam non possent esse æque boni, siue perfecti, quando versantur circa obiecta inæqualiter bona, siue perfecta, inde tamen necessariò non sequi, debere id ipsi repetiri in cæteris omnibus actibus respectivè ad suos terminos.

Respondeo secundo, in actibus cognitionis, & amoris duplicem bonitatem, seu perfectionem spectari posse: aliam absolutam, quæ in se sunt boni, siue perfecti: aliam respectivam, quæ boni sunt, siue convenientes suis subiectis; utraque autem antea quare intrinseca, siue identificata cum ipsis actibus esse potest, aut partim extrinseca; atque adeo, tum ex eorum entitatibus; tum ex adiunctis distinctis ab illis coalescens iuxta doctrinam de bonitate in uniusformem tradendam *suo loco*. Quo posito, dico, etsi plerumque actus cognitionis, & amoris bonitate semel extrinseca, præsertim respectivè includente in suo conceptu reali ex connotato obiecta ipsorum eò meliores sint, quod obiecta ipsa sunt præstantiora; bonitate tamen, seu perfectione adæquate intrinseca præsertim absoluta sapere esse, aut æque, aut minùs perfectum actum habentem perfectius obiectum, quam habentem minùs perfectum. Constat enim, actum de obiecto perfectiori sapere esse aut æque, aut minùs clarum, vel intensum; atque adeo aut æque, aut minùs perfectum perfectione claritatis, vel intentionis sibi adæquate intrinseca, quam actum de obiecto imperfectiori. Cum constet, sapere homines; aut etiam Angelos clarè cognoscere, intensiusque amare creaturas, quam Deum, aut creaturas minùs perfectas, quam magis perfectas. Tantundemque, quod ad cæteras perfectiones adæquate intrinsecas attinet, sapere etiam euenire censendum est.

Itaque, quod perfectius obiectum est, eò melius est 86 cognoscendi, cæteris paribus, illud cognoscere, non quia cognitio obiecti perfectioris intrinsece, cæteris paribus, perfectior sit ex eo præcisè, quod sit.

C 2 sit.

sit obiecti perfectionis; sed quia, quod perfectius est obiectum, extrinsecè ab illo, tanquam à circumstantià quādam euadit ea conuenientior, appetibiliorque cognoscendi, si cætera sint paria. Quo eodem pacto amor obiecti perfectionis conuenientior amanti est, tametsi intrinsecè non propterea perfectior sit, quod est obiecti perfectioris. Quamuis autem, maius bonum connaturaliter, & regulariter, maiorem de se, atque adeo magis intensam intrinsecè delectationem pariat: Id tamen necessarium non est, cum videamus sæpe homines intensius de minoribus bonis, quàm de maioribus delectari.

- 87 Quæ quidem doctrina inde etiam confirmanda venit: quia in actibus odij, eò minor bonitas, cæteris paribus, reperiri solet, quo eorum obiecta sunt meliora, ob id actus odij Dei reliquis peius est. Quod argumentū imprimis est, intrinsecam bonitatem actuum penes intrinsecam ipsorum naturam; non verò penes bonitatem obiectorum, seu terminorum taxandam esse. Deinde ne intrinsecam quidem bonitatem illorum eò semper maiorem esse, quo obiectorum, vel terminorum maiore est bonitas.

Vnde planè colligitur, effectum illud, quod vulgò solet circumferri: *eò perfectior est actus, cæteris paribus, quod perfectior est eius terminus*, falsum imprimis esse, si intelligatur de perfectione actus intrinsecæ. Deinde, etiam si intelligatur de extrinsecæ non vniuersaliter, sed suis cum exceptionibus esse verum.

Propositio 5.

Actus re ipsâ formales non euadunt necessariò inæquales quoad suum esse intrinsecum ex eo quod eorum subiecta sunt inæqualia; sed æquales esse possunt intrinsecè quantumuis eorum subiecta inæqualia sint inter se.

Hæc propositio perinde ac præcedens probanda venit: quia actus, de quibus agit, perinde veniunt, quod ad rem attinet, comparandi ad sua subiecta; atque ad suos terminos. Supponitur autem in tota hac quæstione ex dictis *disp. 8. de subiectis prædicationis actuum sermonem esse*, sub eisque proinde principia actuum, de quibus illi prædicantur comprehendendi.

DISPUTATIO XVII.

DE VNITATE, ET MVLTITVDINE ENTIVM, seu rerum; atque adeò obiectorum intellectus humani.



In hac disputatione primùm de vnitatis, & multitudine entium in vniuersum breuiter disseram. Deinde de vnitatis, & multitudine obiectorum intellectus nostri prout talium agam, atque ita de obiecto vniuersali, quod definitur *unum in multis*, deque ipsi correspondente particulari generatim sumptis imprimis; mox verò de eisdem speciatim acceptis; atque adeo de singulis prædicabilibus potissimum mihi sermo erit; circa quæ breui etiam perstringam, ut soleo, quæ apud Autores obuia sunt, & vel minore egent explicatione, vel ad institutum, quod insequor minus conferunt, nonnihil amplius cætera producturus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit vnum, quid vnitatis, & quotuplex?



Vnum sic solet vulgò definiri: *est ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*. Arist. tamen, lib. 5. *Metaph. cap. 6.* ita vnum vniuersè sumptum describit: *vniuersaliter namque quocumque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur*. Et quibus verbis aperte constat vnum sufficienter definiri per illa priora verba definitionis vulgaris: *est ens indiuisum in se*. Vnde plerique à definitione vnius remouent reliquas particulas, & *diuisum à quolibet alio*, quasi ad rationem vnius formalem non pertinentes. Ita Soar. *disp. 4. Metaph. sectione prima*, Fons. *libro quarto, Metaph. cap. 2. q. 5. sec. 5.* Gillius in 1. p. lib. 2. *tract. 3. cap. 5.* Fasol. plures pro eadem sententiâ referens in 1. p. q. 11. *art. 1. dub. 14.* contra Nazar. Suesan. & alios etiam à se relatos. Id quod haud dubiè sentit itidem S. Th. dum in *ca. q. 11. alij-*

que in locis sæpe vnum definit per solam indiuisiōnem entis in se.

Sed est difficultas in hac quæstione vadè celebris, quid addat vnum supra ens, quidue per indiuisiōnem, à qua ens indiuisum in se; atque adeò vnum euadit intelligatur? an positium quid, an potius aliqua negatio? Prima sententia est, vnum supra ens nihil omninò positium addere; sed meram negationem. ita S. Th. 1. p. q. 11. *art. 1. alijque in locis*. Soar. *supra n. 6.* Fons. *sec. 4.* Fasol. *dub. 5.* Gillius *cap. 3.* Arriag. *disp. 1. Metaphysice sec. 3.* & apud eos alij plures; qui tamen inter se non conueniunt in assignandâ negatione, quam vnum addit supra ens. Nam Caiet. Argent. Nazar. apud Fasol. & Gill. *supra* censent, esse negationem, quâ ens nō est diuisus à seipso. Soar. verò Fasol. & alij, esse negationem, quâ ens in se non est diuisus in plura.

Secunda sententia est, id, quod addit vnum supra ens, non negationem; sed aliquid positium esse. Ita Vasq. *rom. 2. in 1. p. disp. 128. c. 2. cum S. Bon. & aliis.* Petr. Hurt. *disp. 4. Metaph. Auic. Scot. & plures alij apud Soar. & Fasol. supra*. Qui etiam inter se non consentiunt, quatenus Auic. Scot. & sui ex naturâ rei distinguunt ab ente id positium, quod vnum supra ens in ipsorum sententiâ addit; cæteri verò, dumtaxat distinguunt per rationem.

Pro